


Nikolaus Georg Bernhard Löwenstern von

Brevis Disqvisitio Nvm Et Qva Ratione Vvlgaris Contractvvm Divisio In Dipleyroys Et Monopleyroys Ferri Ac Defendi Possit

Bvetzovii: [Verlag nicht ermittelbar], A. D. XXVIII. Mart. MDCCLXIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn888678746>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow
Jur. Fak. 1769
Loewenstern, N.G.B. de

Bützow 121

BREVIS DISQVISITIO
 NVM ET QVA RATIONE
 VVLGARIS CONTRACTVVM DIVISIO

IN ΔΙΠΛΕΤΡΟΥΣ ET ΜΟΝΟΠΛΕΤΡΟΥΣ
 FERRI AC DEFENDI POSSIT


QVA COMITE

SCHOLAS SVAS PER AESTATEM HABENDAS
 INDICIT ET OFFERT
 NICOLAVS GEORGIVS BERNARD.
 DE LOEWENSTERN
 IVRIVM DOCTOR IN ACADEMIA FRIDERICIANA.



BVETZOVII
 A. D. XXVIII, MART. cId Id CCLXIX.

REAVIS DISPOSITIO
NUM ET QVA RATIONE
VALGARIUS GONTRACTUS IN DISPOSITIO
IN ALIQUOTIS ET MONASTICIS
TITULIS DISPOSITIO
CIVILIS
SCOLAS SVAS PER VESTATAM HABENDAS
INICIT AT OFFICI
NICOLAVS GEORGIVS BERNARD
DE LOEWENSTEIN
ITINERARIUM IN ACADEMIA FRIDERICIANA



§. I.

COEPTI RATIONES SIGNIFICANTIVÆ.



Ex quo in alma hac musarum sede clementissime mihi docendi licentia indulta fuit, nihil etiam magis a me fieri curavi, quam ut id ad quod huius officii rationes me vocarent, perficerem, nempe, ut lectiones quasdam instituerem, instituendas vero iusto modo et tempore significarem. Ne ergo illius etiam quod ad instans semestre facere videar intermissionem, id iterum mihi agendum, ut quas post dies, quibus resurrectio domini nostri pie celebranda, aperici constitui scholas, nunc etiam tempestive renunciem et illarum rationes *vociscum commilitones honoratissimi exoptatissimi*, communicem. Verum est mos diu inueteratus, nec ille omnis vacuus utilitatis, ut qui primum rem quandam adgressuri laborum suorum indicem dare cupiunt, observationem aliquam eidem ex arte quadam depromptam comitis instar adiungere soleant; meum ergo etiam hac in re videbatur eodem quoque modo meum mearum praelectionum indicem maiorum ritu comitari. Verum quum



breui quod solidiorem omnino et exactiorem respuit pertractationem temporis spatio me premi viderem, consilium mutare et doctrinas forte fertiliores dimittere coactus in doctrinam de contractibus incidi, cuius multa quod non ausim diffiteri, quae circumferuntur capita iusto mihi et solido destitui videntur argumento. Vnum eorum, tametsi reliqua inter leuissimum in praesentiarum festinanter ad notare mecum et exantlare constitui. Scilicet, quod vulgus doctorum contractus, prouti obligationes ab illis vel ab vna tantum parte, vel ab vtraque descendunt in *unilaterales* et *bilaterales* describendas esse docet, error mihi videtur, certe dictum non adeo concinnum. Multos equidem in primis, quibus vel alios taxare solenne, vel qui aliquantillum a spatio et curriculo maiorum deflectere probro sibi ducunt et crimini admodum hac re offensos fore praeuideo, quibus quum alia via obuiam ire non nouerim, quae me quidem ad ita sentiendum ducunt rationes in hisce pagellis exponendi vnicum mihi erit studium. Quo quidem Catone te L. A. quoad politius aliquid atque elegantius proferam contentum esse iubeo.

§. II.

ARGVMENTVM PRIMVM: CONTRACTVM PER OBLIGATIONEM
DEFINIRE INCONCINNVM.

VIDIT iam ante eorum aliquid omnium vnus veluti promus condus MARQVARDVS FREHERVS, qui plura nondum ausa veteribus tentauit et summos saepe tulit adplausus, quique et hic errorem quendam subesse odoratus, vulgo vt se exciperet, contractum omnem bilateralem esse contendens totam hanc diuisionem, quum etiam ex negotiis a vulgo ad vnilateralia relatis gemina oriretur obligatio ficulneae instar expunxit. ^{a)} Verum nec huic illius,

vti

^{a)} in *Parerg. Lib. I. Cap. 16. in thesauro* EVER. OTTONIS Tom. I. pag. 994.

Qui tamen in noua hac opinione expo-



vti est, sententiae albus vbique a nobis adici potest calculus, cuius nihilominus institutum laudamus et acre cuius abundans vbique ingenium admiramur, haud diffitentes, eundem illarum rerum fere focordes mirifice nos ad veri inuestigandi cupiditatem excitasse. Ad sententiam vero nostram quod attinet, non nihilum eidem confido tributuros, quibus tantummodo ipsa diuisionis ratione excussa, curatius aliquanto expendere lubitum, quam sit inconcinnum, contractum per obligationem definire. Id illi faciunt, qui contractus in vnilaterales et bilaterales censent describendos, quod autem quam sit absolum ferme dici non potest. Ante autem quam, quem errant

exponenda admodum breuiter defungi videtur. Non ferendum existimat Vir eximius hanc diuisionem, siquidem contra rei naturam et aduersus clara quae sunt legum verba agere ni instituere-mus, nulli dici possent contractus non διπλέυροι et qui non vtrinque inferrent obligationem. Et quibus hisce lumen incendat, quaedam illis adnexuit exemplorum ad instar corrasitque mehercle satis eorundem. Reuocat nos tum ad mutuum tum ad veterum stipulationes. Illud, inquit, non secus atque has ad vnilaterales referunt; nunc vero ex parte tantum vna gignant obligationem ad dubito, quandoquidem non tantum ipsum in mutuo debitorem, sed et creditorum noui obligatum; ille quidem ex contractu crediti ad rem mutuam in eodem genere restituendam, verum et hic

varie, veluti ne reprobam monetam ne dolo malo rem vitiosam porrigat eodem obligatur. Haec ita noster pro more suo ingeniosissime, qui nihilo tamen minus nec ipse rem acu prorsus tetigit, sed pro rei tantum umbram amplexus videtur; sicuti exempla quoque ad quae nos duxit, non tanta, quo vt nostrum mouerent calculum esse debuissent, pondo sunt, verum vbique indigent ferro, pumice, vstrina. Namque *primum* nobis de obligationibus, quae ex contractu proueniunt, principalibus est quaestio, earum contra, quae velut a latere adueniunt nulla nos tangit. Equis vero, obligationes, quae in creditorem cadunt, quasque noster obseruauit, principales, hoc est, eas quas quum contraharent, principaliter respiciebant partes minime esse, non viderit? Deinde,



errant, qui ita contractus diuidi passi sunt, ipsum tangamus errorem, de discrimine contractus inter et obligationes quod intercedit, cogitandum est, qua de re nobis hic eo vberius differendum, quo magis ad detegendum communem quem diximus, errorem et ad eundem profligandum ea faciunt. Id autem immorum mihi sedet fixumque, nihilum contractus ab obligationibus differre qui autumant vel parum etiam curiosi in obseruando eorumdem discrimine detegendoque versantur, cum omnis obligatio, quae tantum vim ex contractibus sortitur, effectus contractus hic vero eiusdem causa existimari debeat, egregie decipi. Tametsi enim PAVLVS *obligationem omnem pro contractu habendam* statuit *b)* non exinde tamen pro obligatione etiam habendum esse contractum, fluere videtur et sequi, quod dudum quem

qua tamen in re praecipue nobis attentis esse atque curiosioribus aliquantum expedit, nostrales de contractu aliquo si differunt bilaterali, duplicem eamque, quae ipsi contractui consummato reapse inest, ex eo venire significant obligationem. Quod quum ita sit, hos minime gentium, quum et obligationes, quas ait in creditore obtinere minime negotio mutui insint et intra eiusdem persistant concepta, refellit F R E H E R V S. Dolus a quocunque praestandus et nascitur, eo admissio, *doli non mutui actio*. Ad haec etiam obligatio ad praestandum dolum non ex mutuo est, etsi, vt in aliis negotiis quibuscumque, eidem ex adicidenti accedere queat. *Ad ultimum obligatio facti aliquis effectus est*. Quem enim ad modum obligatio ad

poenam delicti, obligatio ad indemnitatem ei praestandam, qui mea adcurauit negotia, rei gestae, ita obligatio ad rem mutuam restituendam quoque ingressi mutui effectus. Causam vero suam antecedere effectum, res plane nusquam gentium audita, sed sequi deberent haec creditoris obligationes, ne reprobam porrigat monetam, ne malum admittat dolum, contractum. Eum vero cum antecedunt vel certe tamen in limine contractus adpareant ipsaeque tanti ad perfectionem illius conferant, illae ne effectus quidem contractus dicendi, sed simul contractum, cuius effectus debitoris obligatio, formant duntaxat atque efficiunt.

b) l. omnem. 20. D. de Iudiciis.



quem fas hoc loco laudare et eleganter nos admonuit LAVRENTIVS BEYERLINGIVS. c) Obligationem deinde etiam tantum Iure consultus ideo pro contractu habendam posuit, vt contractus, quae causas obligationum constituunt, necessario adesse debere et illam, quando constet obligationem contractam esse, antecedere, demonstraret. Aliud ergo nihil voluisse videtur, nisi vt ostenderet, obligatione in loco aliquo effecta, ibidem etiam in dubio contractum fuisse initum, putandum esse, vel, vt idem effert IULIANVS d) contraxisse vnumquemque intelligi in eo loco, vbi vt solueret se obligauerit. In primis autem magno etiam adiumento nobis in firmando hanc, quam etiam ACCVSSIVS maluit sententiam, IULIANVS potest esse, qui nos *facti esse* contractus eodem quo *pacta* modo e) admonet. f) Tunc vero aurem vellunt haec Imperatoris nostri g): *Incorporales sunt, quae tangi non possunt, qualia sunt ea, quae in iure consistunt, sicut — — obligationes quoquo modo contractae — —. Id quod ex obligatione nobis debetur, plerumque corporale est, veluti fundus; homo, pecunia, ipsum vero ius obligationis incorporale est.* En, adparet, cum duo haec loca inter se conferuntur, vt puto luculentissime, summum quod inter obligationem et contractum habemus discrimen: illa *iuris* hic *facti*. h) Sin vero insuper non differrent contractus eorundem ab obligationibus causam quoque cur *diuersa* iuris conditores iisdem adscripsissent loca illisque *diuersas* tribuerent finitiones, quum longe aliter

c) in *Thesauro magno vitae hum.* Tom. II. Edit. Elzev. fol. 448.

d) l. 21. D. de O. et A.

e) l. 27. §. 11. D. de pactis.

f) in l. consilio. 7. §. quaesitum 3. D. de cur. furios.

g) §. 7. Inst. de reb. corp. et incorp.

l. obligationum 3. pr. ff. de O. et A.

h) Vnde etiam POMPONIVS in l. 11.

D. de R. I. *Id quod nostrum est, sine facto nostro transferri ad alium non potest.*



obligationem atque contractum definiunt et alium illi alium huic locum addixerint, penitus, non dissimilo, nescirem. Nec parum etiam exinde, quod legum latores tantum non semper, vtrum validi sint nec ne contractus? ante omnia et maxime commendaerint inspiciendum et si vitii in essentia eorum et forma deprehenderetur quiddam, iuris vinculum ne eueniat, perquam caute etiam praeuiserint, in rem meam redundare censeo praesidii; vbi enim nulla sub est causa, nec posse constat constitui obligationem, PAVLVS verborum quoque, inquit, *obligatio constat* (id est *valet et adest*) *si inter contrahentes id agatur* (id est *si contractum celebrarunt*) *nec enim si per iocum puta vel demonstrandi intellectus causa ego tibi dixero: spondes? et tu responderis: spondeo nascetur obligatio.* ⁱ⁾ Cuius rei ratio pene haec est, quod contractus ipse, qui causam vinculi constituit, vitio premitur, quare et effectus suus, obligatio puta, quae sine causa esse nequit, desiderari debeat. Dolum itidem vitari contractum eoque vitiato obligationem quoque inde coactam cito perire ^{k)} vulgatus quidem est, quam vt hac etiam in re obseruetur.

Omnem

ⁱ⁾ cit. l. 3. §. *verborum* 2. D. de O et A. Haud raro etiam leges, si contractum esse dicunt, obligationem inde redundare adferunt, vt VLPIANVS, PAVLVS, CAIVS, MODESTINVS in l. *an inutilis* 8. §. *adceptum* 3. D. de adcept. l. *nihil* 35. D. de R. I. l. *obligationes* I. §. *verbis* 7. D. de O, et A. l. *consensu* 2. l. *quaecumque* u. l. *serui* 14. l. *contractus* 54. D. eod. quibus adsentit *lex Impp. DIOCLETIANI ET MAXIMIANI* 5. C. de obl. vt plura, quae sunt si-

milia loca taceam, quibus etiam, vbi certissima rerum testimonia, ne vsus quidem, vt adeo plane ineptus sim, si hisce rebus clarissimis longius immorarer. Neque hic etiam aliquid in contractuum generibus discriminis constitutum, quum et quos dicunt bilaterales, vt stipulatio, obligationum genitores.

^{k)} Vnde diuisio doli in causam dantem et non dantem contractui ab aliquibus educata. Qua de re videas rationes pro contraque deducta apud IOS. AVE-

RANIVM



Omnem denique scopulum, si quis in re tam luculenta superest, exemit, qui conuentiones et contractus causas obligationum dicit POMPONIVS ^{l)} et maiori forte adhucdum cum pondere, qui causam ipsam ab obligatione distinguit et certi conditionem ex praecedente obligatione competere, hanc vero ex causa sua deuenire statuit VLPIANVS, ^{m)} Elegans est, ni fallor, obseruatio GVIL. MARANI ⁿ⁾ obseruantis, ab obligatione proxime actionem nasci, nec ideo, nisi obligatione mediante parere contractus actionem, tamen si ordo in exercendis iudiciis obseruetur vsque eo contrarius, vt singulae singulas iuxta CAIVM ^{o)} sequerentur obligationes. Vtrum vero exinde, quae est viri eximii, per ad commodata ramen limato ipsius ingenio coniectura, eiusmodi obligationum causarum *origines* dicantur et *initia* ^{p)} perspicere mihi nondum adeo felici licuit, sed cum

RANIVM *Interpr. Iur. Lib. I. Cap. 14.*

VLR. HVBER *ad D. tit. de dolo th. 4.*

GERH. NOODT *de forma emendandi deli mali in contrabendis negotiis admissi,*

Cap. VII. in Oper. Tom. I. p. 315. seqq.

B. NIC. HIER. GYNDLING *ad D. eod.*

§. 3. seqq. 10. WOLBERS Observ. Cap.

IV. et V.

l) in *l. nec ea 27. D. de R. I.*

m) in *l. certi 9. D. de reb. cred.*

n) *ad cit. l. 9. Tom. II. Oper. Edit.*

Trotz. p. 543.

o) *l. et an. 14. §. actiones 2. D. de Exc. rei iud.*

p) In suas nominat partes *l. ne creditores 9. D. de pign. act. l. instructa 24. de fideicomm. et l. 2. C. de praeser. 30. vel 40. ann.* Caue autem decipiat te ho-

rum locorum adlegatio omni ex parte si a sola *l. 2. C. discesseris*, iniusta; deceptus enim vel calcographus, vel etiam ipse, quod probabilius auctor. Ad *l. 9.* quod attinet, nec ingressus verba, nec numerus integer, quamquam, quod singulare, etiam in nomenclaturam legum ordine alphabetico a D. GOTHOFREDO digestam idem ille error, quod ad numerum capitis irrepperit. Eodem itidem modo initialium verborum ratio in altera adlegatione frustra. Neque hae leges ex Digestis, sed ex Codice utraque sunt ergo *l. nec creditores 10. C. de pign. act. l. instrumenta 24. C. de fideicomm.* Id quod obseruare volui, ne Maranum lustrantem error te a lectione remoraretur.

B



cum non tantum obligationum causae, verum et iuris nostri cuius-
cumque absque obligatione alterius causam hisce contineri parti-
culis ex ipsis adpareat textibus, adhuc pendeo animi. Mallem id
obseruasset, contractus, quum praecipuae illae sint obligationum
civilium causae, inde etiam esse, ut illi ipsi causarum denominen-
tur nomine. *q)*

§. III.

VARIAE OBLIGATIONVM CAUSSAE NON OMNES CONTRACTVS.

DEINDE etiam tantum eadem ratione esse, venire nascique
dicuntur ex contractu, qua ex re, delicto, lege et pacto vim ferre
videntur obligationes. *a)* Caueas enim, non nisi de contractu, ver-
borum conceptione, traditione, membranis celebrato vincula exire
putes, vel recordari, fontem obligationum vnicum non esse con-
tractum temnas. Omne enim aliud te hortatur CAIVS, nempe
obligationes non ex contractu, aut maleficio tantum, sed et pro-
prio quodam iure ex variis adhuc causarum figuris oriri. *b)* Ex
natura quaedam, quae ex legibus aeternis Deo, nobismetipsis et
ceteris penes nos debemus oriuntur. Quaedam ex lege, earum-
que aliae immediate, aliae mediate ex re, factis, delictis, crimini-
busue pactisque et illis vel legitimis vel nudis, potissima illa natura-
lium

q) ut in *l. filius familias 39. de O. et A. l. non solum 49. §. ut debitor. 2. D. de peculio.*

a) §. 2. *Inst. de Obl. l. obligationes i. pr. D. de O. et A.* in cuius verba temere GOTTFREDVS commentatus est; atqui contractus est obligatio.

b) Aliis mihi praestat et adridet FR. DVARENII huius loci interpretatio qui ad tit. *D. de O. et A. Cap. III. Tom. I. operum p. 1388.* postremis verbis GAIVM ostendisse, tantam esse causarum et obligationum inde varietatem, ut partitione aliqua comprehendere non possint, obseruat.



lium obligationum figura descendunt. Vnde ipsarummet, quae sunt in *ciuiles*, *naturales* et quae huiusmodi generis alia memoranda, obligationum diuisiones ^{b)}, quae autem quum fufius iam et elegantissime a Viro Clar. IO. ORTW. WESTENBERGIO sint persequuta ^{c)} intra haec pauca, ne scrinia aliena forte ex improuiso compilasse videar, consistere iubeor. Vbinam vero loci has velis referre, quo titulo, nota, sigillo, quoue nomine illarum designare caussas, nisi earumdem plures vinculorum eiusmodi feraces pluriumque tametsi diuersarum saturae? Quodsi vero obligationes, ceu perhibes, faciem vestiuntur contractuum et nomen formamque, nihil, nisi et legem, facta, delicta et pacta legitima, quum et eorum effectus obligationes sint, contractus appellare amplius mihi relictum et integrum video. Quum ergo aliquis ad sui ipsius contra vim iniustam obligetur defensionem, dicendum vel secum eundem vel cum natura conuenisse, quod minime ferendum, videant qui et talpa coecutiores nubem pro Iunone adcipiunt. Quum item legitima, quae audiunt, pacta obligationem nunc ad faciendum nunc ad dandum nunc ad praestandum pariant, idemne quoque in eadem dicenda conueniret? qua vero quaeso tunc ratione contractus a pactis legitimis differrent, quorum differentiae ingentes?

§. IV.

LABEO ICTVS SVMMÆ CONTEMERATVS.

SED erunt adhuc forte ogganientium, qui oggerunt et nihil est, inquit, cur legibus te munire et verbis gestias; cum pridem

b) Caue tantum *l. naturales* io. D. de *TOVLLIEV* Coniect. Iur. Ciu. Cap. IV. O. et A. generalem obligationum naturalium continere notionem existimes, diuisionem earumdem potius tradit, c) in IX. Dissert. de caussis obligationum in Oper. Tom. I. p. 57. sqq.



dem ipsa tibi legum verba dicam scripserint, cum enim LABEO contractum *obligationem* definiuit, tum IVSTINIANVS Imp. *mutuos* adpellat contractum aliquot. Age excutiam vtrumque locum eumque inspiciam, perlegam, relegam, vt, sine eo perspecto mancea videatur, expungamus, sin vero secus, retineamus coepti tabulam. LABEONIS verba nobis solertiſſimi VLPiani cura seruauit et in haec verba protulit. *a) Labeo — — definit, quod quaedam agantur, quaedam gerantur, quaedam contrahantur. Et actum quidem generale verbum esse, siue verbis siue re quid agatur, vt in stipulatione vel numeratione. Contractum autem ultro citroque obligationem — — gestum rem significare sine verbis factam.* Haec clara imo clarissima, vt frustra sint ergo malique, qui teda sua lumen illius arcent, obscurant, offuscant et lectorum densissimam offundunt caliginem oculis. Sua haec fecit prorsus THEOPHILVS *b)* quem turba subinde passim qui circumiuerunt interpretum firmo omnino talo rem stare credentium, et incautorum erroris sequuti, quos inter etiam ARNOLD. VINNIUS *c)*, STEPH. BODEVS *d)*, IAC. CUIACIUS *e)*, veterani *glossa* ACCVRSII *f)* qui omnes in libris suis, qui iuerunt in librarias tabernas lucemque contractus dum gestiunt definire, ipsa haec nobis obtrudunt LABEONIS verba. Num recte? subsisto, nec ante mihi de eo iudicare, quam ipsis eiusdem verbis breuiter probeque perpenſis decebit. *Primum* obseruamus, eundem contractum dicere obligationem, id quod fieri proprie non posse paullo ante amplius, quum obligationem effectum contractus dixerim, ostendisse me spero. Tuum itaque iudicare: vtrum propria, an impropria sit haec, quam formauit, defi-

a) *l. Labeo 19. D. de V. S.*

b) *in paraphr. ad §. prius Inst. h. t.*

c) *ad §. 2. Inst. eod. n. 9.*

d) *ad §. omnium. Inst. h. t.*

e) *Obſerv. Lib. V. Cap. 36.*

f) *in l. nostram.*



definitio? egomet posterius quidem duco obtinere, siquidem aperte, cum pro effectu causam posuit, μετονομαζὼς loquutus est, quod fieri non ferunt probi dialectici. Alterum, quod ex *Nostro* discimus est, contractum vltro citroque, id est, paciscentium vtrumque confrigentem vel bilateralem efficere obligationem g). Quae si confers, ex quo duplex venire solet principalis obligatio, definiuit contractum. Sed ne aliquid dissimulem, qui cum notio- nis contractuum generalis satagunt definiendae ad LABEONIS, qui cuius semel iam commonuimus improprio sermone vsus definitio- nem contractus minime gentium animum induxisse videtur, refu- giunt oracula, cuius tamen mihi qua definientis verba recto nulla ex parte stare videntur talo, minus recte agere censeo. Insuper haec illius verba a Pandectarum compilatoribus ad *Tit. de Verb. Sign.* relata sunt, nec male. Probe autem aliam atque aliam ICROS tradidisse, vt res subiecta postulasset, verborum interpretationem, quam imperite quis ad generalem quandam intellectum plerumque porrigeret, IAC. LABITTUS h) obseruauit. Vt vero ULPIANVS nobis tradidit, verba haec ex LABEONIS commentario ad *Edictum praetoris Urbani* deprompta sunt, quare et huc ire tantum videntur. Dixerat nempe praetor in edicto i) quod cum minore quam XXV. annis gestum esse dicitur ita: quaedam aguntur, quaedam geruntur, quae- dam contrahuntur, qua occasione adrepta grate horum verborum discrimen, varios sensus significatusue inquirendi studium LABEO- NI k) in illud commentaturo, vt ostenderet, agere verbum esse gene-

g) Add. SVETONIUS in *Calig. Cap. XIX. CICERO in somn. Scip. Cap. 1.*

h) de *usu indicis pandect. Cap. II. §. 8.*

i) Inuenies edicti argumentum in *l. hoc 1. §. praetor. 1. D. de minorib.*

k) Quale studium familiare illi et cum ceteris sui ordinis commune erat, quo- rum, vt QVINTILIANI *Instit. orat. Lib. V. Cap. fin.* verbis loquar, summum studium et summus labor circa proprie- tates verborum.



generale et actum quemcumque denotare, *contrahere* obligationem efficere civilem, *gerere* denique sine verbis aliquid conficere. *Agimus* enim non tantum edendo, ludendo, contrahendo et faciendo quaecumque, sed fando etiam et cantando. *Contrahere* nequimus, nisi mentem nostram nobis inuicem verbis significemus; *gerimus* denique nullis verbis adhibitis, solo facto, ita nimirum, ut nihil verba ad naturam gestionis conferant. Non igitur proprie rem publicam, tutelam, negotia, magistratum *contrahimus*, verum *gerimus* et quum verbum *agere* generale, ut vidimus sit, recte etiam tunc tutelam, negotia, magistratum *agere* dicamur, quamuis si *agere* verbum in arctiori adcipimus significatu, omnino et *agere* et *gerere* differre dicendum, ut ideo tunc, quod etiam VARRONI *de ling. lat.* observatum, quem aduersus ALB. GENTILEM defendit IO. GOTTFRIED. GRONOVIVS ¹⁾. Imperator qui dicitur res *gerere*, in eo neque *agit* neque *facit*, sed *gerit* id est *sustinet*. Ita ex mea ipsius cogitatione. Et hac via facile quid differat *gerere* a *τὸ* *facere* pernosci poterit; quorum quidem verborum aliqua discriminis ratio, quum *gerendo* grauius aliquid suscipimus, ut munus et quodue aliud onus, *facere* vero generalius videtur, quum et leuicula *facere* dicimur. ^{m)} Grauius mihi hunc locum ita perlustranti ob stare videtur et reclamare, definitionem dedisse LABEONEM qui adserit VLPIANVS: *Labeo definit*. Ast non tamen locus ille metutus, nec adeo horrida, quibuscum in me pugnare videtur arma. Totus de Verb. significatione Titulus definitiones continet ICtorum, quae omnes pene non dialecticae, quum saepissime definitiones verborum significationes et eum, qui verborum signi-

¹⁾ *Observat. Lib. IV. Cap. 14. p. m.*
^{686. 579.}

καταχρησιν nihil inter factum et gestum interesse dixerit in *l. licet 58. pr.*

^{m)} Quod in causa *cur catus* D. de V. S.



significatus anquirat, definire dicebant, ^{u)} quod ipsum et hic voluisse
VLPIANVM mihi est persuasissimum. Et denique certum, quod aiunt
esse, definiisse, si daremus, quid tum, quod inde recte cogi queat?
quando definitiones ICtorum quidem pro legibus nequaquam ha-
bendae, nec vitio laborantes dignae hospitio, adoptandae, reti-
nendae. ^{v)} Frustra vero esset, si voluerit, quod omnino non puto
definire, quum ut bis admonui, impropriis verbis usus est. Sed
non habemus, illius definitionem ut expungamus, quae ex eius
mente talis esse non debebat, nihil enim verba sua perpendenti
videre mihi datum est, in quo aliqua definitionis significatio adpa-
reat, quo quidem observato liberauimus eum vitii, cuius illum de-
ferre solent, qui mascula opera legitimas definitiones inurere ge-
stiunt. Et hoc dictum sibi quoque habeant, qui eum in sensu stri-
ctissimo, quo pro bilateralibus adcipitur, contractum descripsisse
opinantur. Qui ipse error fere vulgaris, vix autem excusandus,
non enim recte, qui eius verba ita interpretantur, eum percipiunt,
videre ergo est et, quo modo interpretandus dicendum, quando-
quidem non licet crimen huic loco intendere; quamquam et hic
in itineribus meis, cum eo magnitudinis auctoritatisque processit
res isthaec, ut omnium fere insideat interpretum ingeniis genio se-
culorum rata grataque, calculosa ubique semita, vepres periculosae
et loca undique salebrosa. Sed dicam, quae sentiam, et pauca, quae,
ut visum, admonendi sumus. Referenda sunt, si quid video verba:
ultro citroque non ad obligationem ipsam, sed ad eam efficiendi modum,
ut igitur, nisi frustra ICtum verbum *contrahere* exposuisse malimus,
post verba: *ultro citroque verbum initam* vel simile subaudiendum.

Quo

^{u)} V. c. IAVOLENVS in *l. omnis* Diff. de iustitia et iure. Goettingae 1738.
202. D. de R. I. pag. 4.

^{v)} Perill, GE. CHR. GEBAYER in



quo obseruato, integra verba ita legenda erunt: *contractum autem esse ultro citroque initam obligationem.* Quodsi enim illa verba ad obligationem referremus, vitium esset in Labeonis manifestissimum, quum etiam contractus ab vna parte stringentes, vt mutuum et stipulatio veri sint atque proprii. Quod cum dicere durum, nolumus istam adhibere glossam contortam eundem ita interpretando. p) Quando autem haec, quae coniecimus vera sunt, quam luculentissime adparet, LABEONEM nequaquam in eorum ire sententiam qui contractus obligationes definiunt atque bilaterales et vnilaterales adsumunt contractus, sed mirifice summas meae solius adferre suppetias, nisi, quod certum planumque maneat, posuisse eundem pro caussa id quod inde efficitur. §. V.

p) Quod vidit etiam, cuius non vilis inter nostrates auctoritas GE. AD. STRUVIVS *Syntagm. I. C. Ex. VI. rh. 29.* Non leuis tamen nobis aliter ita legem atque vulgus explicaturis ex ipsis, quae illustramus, VLPIANI verbis obueneret videtur scrupulus. *Mutuum et stipulatio* contractus sunt ab vna parte obligatorii, quem tamen vtrumque ad actus retulit LABEO; hac vero ratione a contractu cum separantur, maior communis interpretationis, contractum vtrinque obligatorium inque strictissimo sensu adceptum indigitare voluisse habenda videtur ratio. Enim vero illud dubium tenebit eum quam minime rationem leges et institutum Labeonis curatius qui inspicit, quo facto, quoniam exempla tantum colligere instituit nilquaquam ea facere, sed nuda haec inge-

niorum impilia esse sponte sua cuilibet patebit. Nimirum *actum* generale verbum, vt et contractus et gestiones, siue re siue verbis comprehendat, esse adferit. De agendi vtroque modo et genere actus exempla addit; mutuum et stipulationem. Illud ad actum pertinet, quo re haec ad eum, quo verbis agitur. Quodsi vero ita exinde fas esset concludere, multa inde eodem etiam iure petere liceret absurda, quum enim, vt vel id moneam, negotia re et verbis peragenda ad actum retulit *Noster*, bilaterales quos vocant, contractus, nec re nec verbis perfici, concludendum foret. Quod quum sit absurdum et multi, ne dicam plerique, qui re peraguntur, quorum commodatum et depositum in exemplum exposuisse suffecerit, vtrumque sint obligatorii, neminem confido amplexurum.



§. V.

NEC NON IVSTINIANVS.

ALTERVM quem ponunt locum non satis ponderarunt. Ita autem *Imperator noster*: a) unde in his caussis ex quibus obligationes mutuae nascuntur ut in emtionibus, venditionibus — — si tutoris auctoritas non interueniat, ipsi quidem cet. Quem locum autem si conaretur aliquis huc trahere et trahi illuc posse multis etiam demonstraret, tamen ne tum quidem optimum nobis instarque veritatis, quo utimur, ereptum iuerit argumentum; quum parum quod effatus est *Imperator* me commoueat. *Causae*, quod obiter obseruare liceat, ex ad exemplis substratis vti elucet, hic etiam *contractus* denotant b) animusque *Imperatori* ille: vtrum ex contractibus pupillorum absque tutoris auctoritate interposita initis obligatio veniat? determinare, quod ex parte pupilli simpliciter fieri negat, alteram vero partem, si duplex inde oriretur vinculum statuit obligari. Hoc breuiter totius loci argumentum, qui mea quidem quid referat, ignoro. *Primum* enim obligationem *mutuam* dicit, non *bilateralem* et tamen si hae voces pari plane passu ambulent et in verbis esse soleamus faciles, tamen et hoc certum, nos si obligationem, quae legibus *mutua* audit, *bilateralem* vocamus, non cum legibus et ex iure, sed ex arte vel propria sapientia loqui. Quo ipso minime, absurdum esse aut inconcinnum *mutuam* obligationem *bilateralem* dicere, dicam, qui potius hanc formulam aptissimam esse concedo. Obseruatum hoc

a) pr. Inst. de auct. tut.

b) Vti in aliis locis *negotia* dicuntur, ut in l. in commodato 17. §. sicut. 3. D. commodati. l. si in area 33. D. de con-

dist. ind. l. natura. 4. l. solent. 15. l. si tibi 22. D. de praeser. verbis. Vt adeo hic locus ea, quae in fine §. II. coniecimus, firmare videatur.



hoc fuit tantum non semper summo *CVIACIO*, qui legali retento nomine *mutuas* et *non mutnas* adpellat obligationes. *c)* Deinde, quod praeprimis docendi sumus et admonendi, non de contractu sed de eiusdem effectū, obligatione ab eo procedente sermo et hanc in eam quae mutua, quaeque non mutua diuisit. Quodsi porro ipsa, quibus vsus est *Imperator*, retineamus verba, quam sit inconcinnum, illa ad contractus ipsos adplicare, clarius forte adhuc tum, censeo, adparebit. Perspiciet enim mihi persuadeo quilibet pergrauiter nos, si contractus, obligationum bilateralium parentes *mutuos* qui unilateralium *non mutuos* diceremus, in vsus loquendi offensionem casuros. Etenim aut, ut vocum fert proprietas, mutui forent, qui *utrimque* inirentur, aut certe, ne ultra modum haec effecta suspiceris, a *consensu*, qui interponitur, mutuo vel non mutuo, dicerentur. Quo posito, tota distinctio euanesceret, quum ne omnes tunc mutui et ut dentur non mutui admodum verear *d)*, nisi ad eos obligationes *quasi ex contractibus* referre velis, ubi tamen, quod quamuis vulgo, sed sine auctore persuasum sit, nullus contractus, sed obligatio sola realis legibus agnoscitur et multum haec a contractibus abluunt negotia. Denique hic locus plane mearum partium. Probat enim ille, differre ab obligationibus earum causas, (§. II.)

§. VI.

AD LECTORES PERORATIO.

QUIBUS ita perspectis, diuisionem illam non frustra tantum in Iure Romano quaeri, verum et ipso adeo solido destitui argumento

c) Vid. *Comment. ad tit. de V. O. init. in Oper. Paris. 1575. f. edit. Tom. II. p. 308. et Lib. V. Observ. Cap. 36.*

d) Mutuum dicunt contractum *bilateralē*, tamen adcedat *utrimque* consensus, ut subsistat, necesse est, quem et error excludit *l. Si ego 18. pr. D. l. Si et me 32. D. de Reb. cred.*



mento, certum videtur et in dubium. Non equidem quum haec ita disputamus, ea tot viris clarissimis tamque excellentibus quae placuerunt et variis pene saeculis praescripta, roborata, confirmata, improbare aut exterminare nobis summus. Cadit potius tantum tota haec disquisitio in rationem eius, quod vñui loquendi et rationi aliquantum conuenientius et quod adcuratius videtur. Hic metula, hic coepta nostri finis isque vnicus et verus. Ex quo sat licet videre, quam longissime nos a foro scribendo abfuisse, nec leuis inde nobis exspectatio, fore vt *Lector* haud quaquam difficiliorem nobis impendat conaminis veniam, inprimis, quum libera diffensum profitendi licentia in republica litteraria. Sed cum illis, qui qualiacumque haec, quae exposuimus, illico forte dum legerint praecipiti damnabunt suffragio in gratiam vt redeam et liuore eorumdem prolata liberem vel quod ferme hodieque cautius, iisdem saltim, quoad eius quidem facere possum, voluntatem iterum emeriri quodammodo videar, id faciam, vt qua ratione haec diuisio, quamquam illius origines et rationes e iure Romano vtique petere non liceat, sustinere queat, quisque illius vsus hodie breuiter ostendam. Ipsius autem obligationis diuisio in *bilateralem* et *unilateralem*, quam licet naucifecerint vel omiserint, qui sunt contractuum diuisionum amantiissimi omnino est commendanda, maxime vero in scholis retinenda, confusiones variae, quae neñti solent a tironibus, quippe quibus per diuisiones, separationes et distinctiones optime consulendum, vt eurentur. Quemadmodum enim contractuum diuisio cerebrina, ita haec obligationum reapse libris nostris continetur et idem sentio, vtrum cum Imperatore obligationem *mutuam* et *non mutuam*, an cum nostris doctoribus *bilateralem* et *unilateralem* dixeris, qui praeterea, quas conuenientiores



dicam denominationes anceps haereo. Ad ipsos vero contractus quod attinet, illi quidem etiam ratione effectus duplicis formae generisque, denominari autem ita, ne rationem et usum loquendi offendamus, haud debent. Iuris certe Romani sanctimonia barbaras huiusmodi voces non admitrit, quorum auctores probe, quanti curae opus intelligebant, sua singulis rebus negotiisque ut darent vocabula et hac via fines quasi, singulorum etiam licet simplicissimorum contra aliorum adfinitates seruarentur contuti, quamquam nec id illi ipsi semper poterant adsequi, quum natura rerum conditum, ut plura sint negotia, quam vocabula ^{a)}). Quid vero proficiet homo, potissimus peregrinus vel qui diuinae primitias demum dat Themidi si irracionales audit legitque artis terminos et minus fuenta vocabula? ut ergo iusta omnino querela et maturum boni REINOLDI iudicium; fuisse et esse dolentis, qui vocabulis maxime scholasticis nimium vterentur verbaque usurparent ICTis Rom. haud usitata et hac ratione etiam doctorum auctoritates citra necessitatem, nec sine fastidio cumulerent ^{b)}). Rectius ergo, ne multa, si quidem ipsos contractus, quod omnino, praesertim scholarum efflagitat utilitas, velis denominare, dupliciter dici dixeris contractus ratione effectus, ut scilicet prouti bilateralem vel unilateralem pariant, obligationem, vel *bilateraliter* vel *unilateraliter* obligatorii denominentur, vel, si ipsas ad grammaticorum iudicium referre lubet denominationes, latinus forte illos *ultro citroque*, *mutuo* seu *utrimque* obligatorios hos *non mutuo*, *ab uno latere*, vel *parte* obligatorios adpellabis. Nec haec mea solius latinitas,

^{a)} *l. natura 4. D. de P. V.*

scendique iuris Romani metodo, inter

^{b)} in progr. *de optima docendi di-*

Opusc. p. 728. sqq.



nitas, sed vñ et alii eadem castitate; vt vel VLR. HVBERVVS eximio suo eo-
que imitando omnium vnus comprobabit exemplo ^{c)}. Ita quoque GE-
RARD. NOODTIVS ^{d)} contractum mutui ab *uno latere obligatorium*
dicit, et BERN. HENR. REINOLDVS ^{e)} pari elegancia mandatum *con-*
tractum utrimque obligatorium, vt aliorum, at quot quantorumque! super-
fedeam nominibus. Legalis quidem terminus; quem licuit inue-
nire est, quod *illi* dicantur *negotia inuicem gesta* ^{f)}. Et hac ratio-
ne mihi me videor aliqua ex parte retinere hanc vulgatam diuifio-
nem nomina atque denominationes formarum tantum reiiciens,
quae etiam aequae magnae omnino non habendae atque illae, quae
secundum loquendi rationem deliguntur et iudicio, confiderate
apreque ipsis adcommodantur speciebus. Haec mea de hac diuifio-
ne, quam paullo seuerius sub examen admissus sum reuocare, qua-
liscumque sententia. Ne autem forte mei pecces studio, tuum *Le-*
ctor amice erit, recognoscere quae dicta eademque conferre, quae
fortiora tibi iudicare, cuique dicas eligere, tu mihi sola places.
Quodsi enim non valeo, aliquid proficere argumentando, abstinere
malo, quam gratia contendere et argutiis, qui non te obtunde-
re, sed rationibus conuincere cupio. Quo quidem dicto et bene-
uolos obturgatores placare, inuidis autem pudorem incutere potero.

Supereft autem, vt quam colophonem orationi imponam, of-
ficiū, cuius obeundi causa qualiacumque haec praefatus sum
prius perficiam. Labor vero meus in vsum Dnn. *Commilitorum in*
Fridericana hac nostra versantium conuertendus per aestinum in
eo erit

^{c)} ad tit. I. de obl. quae re cont. 4. l. c. p. 244.

th 6.

^{f)} 1. in commodato 17. §. sicut autem


^{d)} ad D. in oper. Tom. II. p. 220.


3. D. commodati.


^{e)} in Diff. ad l. 57. D. mandati. §.



eo erit, vt I. *pruatiu* hora VIII. *Ius Germ. priuatum* ex aureo Ill. DE SELCHOW libello, h. X. *Principia Iur: feudalis* Ill. BOEHMERI. h. II. pom. *Ius criminale Germ.* praelucente Ill. MEISTERO et h. III. *Iurisprudentiam Rom. Germ. forens.* ex libro B. STRVVII tradam recitemque. Adhaec II. *publice* tum eorum caussa, qui primum *Themidis* templum intrare cupiunt, quae ad iuris generalem notitiam et ad rationem artem illam addiscendi faciunt tum in caeterorum iuris domestici studiosorum gratiam *principia iur. cambialis*, qualia illa Gener. DE SELCHOW eleganter contexuit exponam, operamiti- dem *historiam iuris* coeptam nec dum finitam absolvere nauaturus. Faxit *Deus*, T. O. M. vt cuncta in sui honorem vergant et rei publicae in salutem eueniant feliciter. Dabam *Buetzonii* e museo. lo *ipsis Idibus Martii* clb Io CCLXIX.









et alii eadem castitate; vt vel VLR. HVBERVVS eximio suo eo-
omnium vnus comprobabit exemplo ^{c)}). Ita quoque GE-
TIVS ^{d)}) contractum mutui ab *uno latere obligatorium*
N. HENR. REINOLDVS ^{e)}) parielegantia mandatum *con-*
que obligatorium, vt aliorum, at quot quantorumque! super-
minibus. Legalis quidem terminus; quem licuit inue-
od illi dicantur *negotia inuicem gesta f)*). Et hac ratio-
videor aliqua ex parte retinere hanc vulgatam diuifio-
a atque denominationes formarum tantum reiiciens,
aeque magnae omnino non habendae atque illae, quae
oquendi rationem deliguntur et iudicio, confiderate
s adcommodantur speciebus. Haec mea de hac diuifio-
paullo feuerius sub examen adnifus sum reuocare, qua-
ententia. Ne autem forte mei pecces studio, tuum *Le-*
it, recognoscere quae dicta eademque conferre, quae
i iudicare, cuique dicas eligere, tu mihi sola places.
n non valeo, aliquid proficere argumentando, abftine-
uam gratia contendere et argutiis, qui non te obtunde-
onibus conuincere cupio. Quo quidem dicto et bene-
gatores placare, inuidis autem pudorem incutere potero.
est autem, vt quam colophonem orationi imponam, of-
us obeundi cauffa qualiacumque haec praefatus sum
iam. Labor vero meus in vsum Dnn. *Commilitorum* in
hac nostra verfantium conuertendus per aestinum in
eo erit

I. de obl. quae re cont. 4. l. c. p. 244.

^{f)} 1. in commodato 17. §. sicut autem
n oper. Tom. II. p. 220. 3. D. commodati.
ad l. 57. D. mandati. §.

C 3